UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Schola Canonica Seu Universum Jus Canonicum Nova Methodo Digestum

Continens Librum Tertium Decretalium. Librum Quartum Decretalium. Librum Quintum Decretalium.

Sannig, Bernhard

Nürnberg, Anno MDCXCII.

Tit. XI. De Cognitione Spirituali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98793

Visual Library

TITULUS XI.

DE

Cognatione Spirituali.

CAP. I.

De Quidditate, Contractione, Origine, & Conditionibus Impedimenti Cognationis Spiritualis.

1. NOta primò: Progreditur Pontifex in Impedimentis dirimentibus Matrimonii assignandis, & *hoc tit.* affert impedimentum Cognationis Spiritualis. Dicitur autem *Cognatio* genericè omne vinculum, conjunctionem seu propinquitatem importans. Hìc verò specificè importat propinquitatem, quæ oritur juxta constitutionem Ecclesiæ inter aliquas personas ratione Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis collatorum, vel receptorum. Dicitur *Spiritualis*; quia versatur circa rem Sacramentalem, seu Spiritualem. Hæc Cognatio vulgò vocatur *Compaternitas* & *Commaternitas*.

2. Dico primò: Rectè describitur Cognatio Spiritualis, quòd *sit quædam propinquitas inter personas ob administrationem, vel susceptionem Sacramenti Baptismi vel Confirmationis orta, ex ordinatione Ecclesiæ invalidans, & dirimens Matrimonium.* Ly *propinquitas* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico secundò: ex administratione & receptione Sacramentorum Baptismi & Confirmationis consurgit omnino in certis personis impedimentum Cognationis Spiritualis, dirimens Matrimonii. Ita communis Doctorum. Et statuitur *cap. 3. 4. 6. & 8. hoc tit.* Et *cap. eod. tit. in 6.* Et statuit Ecclesia hoc impedimentum ob reverentiam, quæ debetur baptizanti & confirmanti, ac patrinis, tanquam parentibus Spiritualibus, ut hæc Cognatio non minùs quàm carnalis parentibus carnalibus esset impedimentum dirimens. Unde ulterius.

4. Nota secundò: Ex aliis Sacramentis præter Baptismum & Confirmationem non oritur præfatum impedimentum dirimens Cognationis Spiritualis; prout habetur *cap. Quamvis 3. hoc tit.* Et Ratio est; quia per alia Sacramenta non renascitur, & regeneratur homo ad vitam æternam, sicuti per Sacramenta Baptismi & Confirmationis, quæ conferunt esse quoddam spirituale, *can. 1. & 3. caus. 30. q. 3.* Nam in præfatis duobus Sacramentis tantum persona ejus ministrans est quasi genera... susceptor verò seu Patrinus est quasi Mater, quæ nomine Ecclesiæ in suo gremio suscipit baptizatum & confirmatum. Quare quemadmodum per nativitatem carnalem oritur cognatio carnalis tanquam impedimentum dirimens & impediens Matrimonium; ita pariter per nativitatem spiritualem, consurgit spiritualis cognatio, dirimens & impediens Matrimonium; & hoc ob peculiarem reverentiam, quam alter alteri debet, cui plurimum adversatur actus conjugalis.

5. Nota tertiò: Olim Jure Decretalium ab administratione & receptione Baptismi ac Confirmationis, oriebatur triplex cognatio spiritualis dirimens Matrimonium. Prima vocabatur *paternitas*, consurgebat inter baptizantem, vel confirmantem ex una parte; ac inter baptizatum, vel confirmatum ex altera parte. Secunda erat *compaternitas*, quæ oriebatur inter baptizantem, vel confirmantem, vel patrinos ex una parte; & inter parentes baptizati, vel confirmati ex altera parte; atque ita parentes baptizati vel confirmati erant compatres baptizantis, vel confirmantis & patrinorum. Et duplex hæc cognatio spiritualis etiam transfundebatur à viroin uxorem. Tertia erat *fraternitas*, quæ consurgebat inter liberos carnales baptizantis, vel confirmantis, vel patrinorũ ex una parte; & inter ipsum baptizatũ, vel confirmatum ex altera parte: quare baptizatus vel confirmatus erat confrater liberorum baptizantis vel confirmantis, *cap. Veniens. &* *cap. fin. hoc tit.* Et *cap. 1. eod. in fin. & can. 1. 2. 3. ac aliis, caus. 30. q. 1.* Sed

6. Dico tertiò: Jure novissimo Tridentini memoratæ species Cognationis spiritualis sunt contractæ, & ita restrictæ, ut hodie non nascatur cognatio spiritualis dirimens Matrimonium, nisi inter baptizatum, ejusque patrem & matrem ex una parte; ac inter baptizantem, & suscipientes ad summum unum, vel unam ex altera parte. Ita Vallens. Zoës. Sanch. & communis recentiorum Canonistarum. Et habetur in Trident. *sess. 24. cap. 2. de Reform. Matrimonii*, ubi etiam assignatur ratio hujus constitutionis Ecclesiasticæ, per illa verba, *docet experientia propter multitudinem pro-*

prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere &c. Ex his

7. Nota quartò: hoc impedimentum Cognationis Spiritualis solo Jure Ecclesiastico esse introductum; & primo quidem à Concilio Nicæno *can.* 21. Quamvis plures DD. putent fuisse traditionem Apostolicam.

8. Nota quintò: Catechismus seu institutio Catechumenorum ad fidem quæ anto Baptismum alicujus baptizandi adhibetur, quâ durante sal benedictus ori baptizandi imponitur, per quem significatur cœlestis sapientia, seu doctrina Christiana, *cap. sal cœlestis 65. dist. 4. de consecrat.* Hujusmodi inquam Cathechismus olim afferebat inter easdem personas, inter quas Baptismus, quoddam impedimentum, sed impediens tantum Matrimonii postea contrahendi; non autem dirimens postea contracti; uti habetur *can. cit. 21.* Et *cap. 5. hoc tit.* Et *cap. 2. eod. in 6.* Catechismus enim est quædam futuri Baptismi professio, ejusque initium & quædam imperfecta regeneratio per fidem, quam profitetur catechizans, seu patrinus loco parvuli; ideoque etiam quædam cognatio spiritualis ex ea nascitur; sicut ex sponsalibus de futuro. Ut autem talem contrahat Patrinus, debet durante toto Catechismo infantem tenere; & insuper ad fidei interrogata respondere; quando nimirum Sacerdos interrogat, an credat. Verùm DD. probabilius tenent per Trident. *sess. 24. cap. 2. de Reform. matrim.* tale impedimentum fuisse sublatum; uti colligitur ex illis verbis Concilii, *omnibus inter alias personas hujus spiritualis Cognationis impedimentis omnino sublatis* Ita tenet Zoës. Pirh. &c. Aut saltèm restrictum est ad primum gradum Cognationis, sicut impedimentum ortum ex Baptismo; uti advertit Zoës. & Vallens,

9. Nota sextò: ut autem à susceptoribus contrahatur vera Cognatio spiritualis ex administratione & receptione Baptismi & Confirmationis, requiruntur sequentia. *Primò*, ut teneatur infans in Baptismo actuali. Unde qui teneret infantem, quando solæ solemnitates Baptismi in Ecclesia peraguntur circa infantem, domi ob imminentem probabilem articulum mortis jam baptizatum, non contrahit cognationem spiritualem. Ita Brug. & cæteri DD. communiter. *Secundò* requiritur, ut infans teneatur in Baptismo solemniter administrato: unde suscipiens in Baptismo privatim administratio, non contrahit Cognationem spiritualem. Ita deducitur ex Tridentino *cit.* Et habet Brug. Sanch. Nav. &c. *Tertiò* requiritur, ut contrahatur ista cognatio spiritualis; ut infans suscipiatur de manibus baptizantis, statim ac baptizatus est; alioquin accipiens illum non dicitur suscipere & levare ex fonte baptismatis. Ita habetur in *can. Post susceptum caus. 30. q. 3.* Unde si commater ex manu alterius comatris infantem suscipiat, non contrahit cognationem. *Quartò* requiritur ad contrahendam hanc cognationem, ut verus tactus manibus suscipientis peractus interveniat: unde si suscipiens solâ veste infantem attingeret, non contraheret Cognationem spiritualem. Ita Brug. & DD passim: Sufficit autem, ut tactus iste fiat per Procuratorem; uti habet Bonac. Rebellus, Con. Branc. &c. *Nam qui per alium quid facit, per se fecisse videtur, L. Licet de Constitutione pecuniæ:* Et ex Regulis Juris *in 6.* Quo casu Procurator nullam contrahit Cognationem; quia licèt ipse immediatè tangat; non tamen suo, sed alieno nomine hoc præstat. *Quintò* requiritur in suscipiente intentio tacita, vel expressa præstandi munus Patrini; uti consentiunt omnes DD. *Sextò* requiritur, ut non intercedat error circa personam, quæ creditur tangi. Ita Brugnoli &c. *Septimò* requiritur, ut Patrinus suscipiens sit baptizatus; unde Infidelis non contrahit hanc Cognationem. Ita Mastrius, Brug. Ledesm. Rodriq. &c. *Octavò* requiritur, ut suscipiens sit designatus ad munus Patrini. Ita Tridentinum *cit.* & Sanch. Mastrius, Conink &c.

CAP. II.

Variæ aliæ resolutiones circa cognationem spiritualem.

1. DIco primò: Secundùm antiquos Canones, non nisi unus Patrinus mas, vel fœmina suscipere debebat infantem de Baptismo: si tamen plures suscepissent, singuli Cognationem spiritualē contrahebant; secundùm verò Constitutionem novam Ecclesiæ possunt duo, id est unus mas & una fœmina de Baptismo suscipere; sed non plures. Ita communis DD. Primum habetur in *cap. Quamvis 3. hoc tit. in 6.* Secundum in Tridentino *sess. 24. cap. 2. de Reformat. matrim.* Quòd si tamen etiam plures quam duo, specialiter per incuriam Parochi, admitterentur & verè susciperent simul infantem ex Baptismo, ac assignati sint ab habente potestatem Patrinos designandi, videntur omnes contrahere Cognationem Spiritualem, juxta *cap. 3. cit.* quod non est immutatum per Tridentinum. Et pro hoc stat declaratio Cardinalium, allegata à Tanner. Nec adversatur Tridentinum *cit.* prohibens plurium quam duorum admissionem; quia non irritat factum; sed tantum vetat illud; & est communis doctrina, quòd actus contra legis prohibitionem non sit irritus, si in ea non ponatur decretum irritans, utì notat Zoës.

2. Nota primò: Religiosi prohibentur suscipere infantes de sacro fonte, *cap. non licet Abbati 103. cum seq. de Consecrat. dist. 4.* Ne videlicet hac occasione ad sæcularia trahantur, *can. pervenit 20. caus. 28. q. 2.* Si tamen suscipiant, actus non est irritus; & consequenter contrahunt Cognationem spiritualem. Hi si assumantur in Episcopos, non prohibentur deinceps suscipere ex Sacro fonte; utì jubet Glossa, Sanch. & Zoës. nam tu censentur absoluti à jugo monastic regulæ, *can. 1. caus. 16. q. 1.*

3. Nota secundò: Procurator putatus, ut loco Principalis infa tem de sacro fonte levet, non co trahit cognationem spiritualem; u habet Zoes. Cum is non habeat a mum suo nomine suscipiendi infa tem ex sacro baptismo; unde m dus videtur potius eam contrahe cum res sit facti, quam Principa per alium faciens, ipse facere videt Et dicitur ita resolvisse S. Congreg tionem, teste eodem Zoes.

4. Dico secundo: Parens bapt zans, vel patrinum agens ex ignora tia, vel in necessitate, nullam Cogn tionem spiritualem contrahit; n Jure petendi debitum Conjugale p vatur. Ita DD. communiter. *De ig rantia*; resolvit *can. si vir. De neces tate* verò resolvit *can. Ad limina ca 30. q. 1.* ubi exprimitur hujus rati *Quia inculpabile judicandum, ad qu necessitas impulit.*

5. Dico tertiò: Si tamen Parens tra casum necessitatis & ignoranti baptizet, vel lever infantem, a Confirmationi ejus assistat ut Pa nus, peccat mortaliter & probabi ter non potest petere debitum con gale: potest vero reddere. Primu habet Sanch. Laym. Nav. &c. Secun dum Suar. Sanch. Tertium habet communis Doctorum. Primum con stat ex *can. 1.* Et *2. caus. 30. q. 1.* ubi id severè prohibetur. Secundum pa tet; quia contraxit veram Cognatio nem spiritualem cum Conjuge. Ratio tertii est; quia alter conjunx inno cens non amisit Jus petendi: ad eoque culpabilis tenetur reddere.

TITU